

fuisse; imo Osee his verbis (cap. 1, v. 6): NON ADDAM ULTRA MISERICORDIAM DOMUI ISRAEL, SED OBLIVIONE OBLIVISCAR EORUM, *israëliitarum captivitatem absque ulla spe reditus fore vaticinetur?* R. Non una omnium est ad propositam hic quaestionem responsio. Aliqui enim cum *Tirino* cit. locum *Michaeae* non de solvenda decem tribuum captivitate, sed potius de arctitudine et molestia captivitatis exponunt; ita ut sensus sit: « *Congregatione congregabo*, id est, exactissime, et ad unum per assyrios et chaldaeos congregabo *Iacob totum* populum, omnesque eius reliquias, prioribus cladibus superstites. Captos autem compingam in circum, in carceres, sicut oves compinguntur in caulas. Porro tanta erit multitudo et compressio captorum, ut prae loci rerumque necessariorum penuria tumultuaturi, et ingentem strepitum, ut solent balantes oves, edituri sint suis singultibus, querelis ac lamentis etc. » Verum alii melius et communius tam hunc locum *Michaeae*, quam alios textus prophetarum de reditu et libertate *israëliitarum* vaticinantium intelligunt non tam de reditu, et libertate corporali, quam spirituali, quam multi ex *israëlitis*, aequae ac ex *iudaeis*, adepti sunt per fidem in Christum. Quamvis enim *sanctus Cyrillus* (1), *Theodoretus* et *Theophil.* (2) censeant, decem tribus quae ante duas tribus *Iuda*, et *Beniamin* abductae erant in *Assyriam*, inde rediisse in *Samariam*: contrarium tamen, scilicet has ex *Assyria* nunquam rediisse patet ex sacra *Scriptura* (3),

(1) In *Osee* c. 11. (2) *Ibid.* c. 5.  
 (3) *Osea* 1, v. 5. (4) *L. 11 Antiq.* c. 5.  
 (5) *Comment.* in *Osee* c. 1, v. 6.  
 (6) Vide *Cornelium a Lap.* *comment.* in *Osee* c. 1, v. 7, *Tirinum* *comment.* in *Osee* c. 1, v. 6.

et ex *Iosepho* (4), estque communis s. *Hieronymi* (5), catholicorum aequae ac *hebraeorum* sententia (6). Fatemur tamen, non paucos ex *israëlitis* fugisse, aut reversos fuisse in *Iudaeam* (7): verum haec reversio fuit privata respective paucorum fugientium, aut redeuntium, non communis et publica; quia nec auctoritate publica *assyriorum* vel *chaldaeorum*, aut *aegyptiorum*, nec communi consilio et conspiratione peracta est (uti *iudaeorum* reversio e *Babylone* facta est auctoritate *Cyri*, et communi populi consensu, duce *Nehemia* et *Esdra*), sed quisque vel mansit inter gentes, vel rediit in *Iudaeam*, vel alio migravit, prout cuique libuit, vel commodius fuit. Plura de tota hac quaestione vide apud citatos interpretes (8), et apud *Riberam* (9).

COROLLARIUM. Redierunt quidem in *Iudaeam* non pauci *israëliitarum* ex captivitate aut dispersione inter gentes: sed non auctoritate publica nec communi consensu et conspiratione, prout reversio geminae tribus *Iuda* et *Beniamin* ex captivitate *babylonica* facta est. Unde nulla est contradictio inter illos textus *Scripturae*, quorum alii negant, alii affirmant *israëliitarum* ex captivitate reditum et liberationem; ut consideranti facile patet.

170. QUÆRES III. *Quomodo illud* (*Michaeae* 5, v. 2): TU BETHLEHEM EPHRATA, PARVULUS ES IN MILLIBUS IUDA, concordet cum effato sacerdotum et scribarum hunc *Michaeae* locum his verbis: ET TU BETHLEHEM TERRA IUDA NEQUAQUAM MINIMA ES IN PRINCIPIBUS IUDA (*Matth.* 2, v.

(7) Vide *Cornelium a Lap.* *loc. cit.*; item *comment.* in *Osee*, c. 11, v. 11.  
 (8) *Comment.* in *Osee* c. 1, v. 6, et c. 11, v. 11, et in *Michaeae* c. 2, v. 12, 13.  
 (9) *Comment.* in *Osee* c. 1, v. 6, n. 95-104.

6) *citantium?* An *Bethlehem* simul erat *civitas parvula*, et nequaquam minima seu magna? R. Apparens haec antilogia facile diluitur, dicendo, evangelistam *Matthaeum*, locum citatum cum particula negante: licet ea nunc exciderit, adhuc in *Michaeae* legisse hoc modo: Tu *Bethlehem Ephrata* nequaquam parvulus es in millibus *Iuda*. Certe cum ea particula negante *Michaeae* suis etiamnum temporibus legerunt *Origenes*, *Cyprianus*, *Eusebius*, *Ambrosius*, *Augustinus* etc. Ceterum, etiamsi citatus *Michaeae* locus omisa illa particula negante originaliter lectus fuisset; tamen nulla hic realis contradictio est, sed utraque lectio (tam illa apud *Michaeam* quam altera apud *Matthaeum*) in eundem sensum facile conciliari potest. *Michaeas* nimirum de civitate *Bethlehem* ait: *Parvulus* es viculus in millibus *Iuda*, nempe si oculis corporeis aspiciatur eius species exterior, spatium, divitiae etc. *Matthaeus* vero, et sacerdotes ac scribae *Matth.* *loc. cit.* illum viculum oculis spiritualibus contemplant, ob dignitatem a nascituro *Messia* contrahendam aiunt: *Nequaquam minima es in principibus Iuda* urbibus, quae hanc praerogativam non habent. Mox enim *Matth.* *loc. cit.* additur haec ratio: « Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum *Israël.* » Et *Michaeae* *loc. cit.* dicitur: « Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in *Israël*: et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis. »

Denique alii (1) volunt, *hebraicam* lectionem citati loci *Michaeae* per interrogationem sumendam esse, ita ut sensus sit: « Esne tu, o *Bethlehem*, ex parvulis oppidis *Iuda*, cum tamen ex te egredietur, qui

(1) Vide *Calmet* *commentar.* in *cit. loc. Michaeae et Matthaei.*

sit dominator in *Israël* etc. » Ubi denuo nulla est realis contradictio inter citatum locum *Michaeae* et evangelistae *Matthaei*, ut ex dictis cuivis patet.

SCHOLION. *Michaeas* *loc. cit.* habet: *Et tu Bethlehem Ephrata!* Evangelista vero *Matthaeus* inquit: *Et tu Bethlehem terra Iuda*; nempe ut haec *Bethlehem*, Christi nascituri locus, distingueretur clarius ab altera, quae sita in *Galilaea*, e portione tribus *Zabulon* erat, ut dicitur *Iosue* 19, v. 12. Illa autem in tribu *Iuda*, a sui conditore *Ephrata* sic dicta, *Davidis* patria fuit: unde *David* (2) vocatur *filius viri euphrataei de Bethlehem Iuda*.

## CAPUT VII.

## De Nahum.

NAHŪM, *hebraice* נְהֻם *Consolator*, *graecae* *Nzobuz*, patria *elcesaeus*, ex viculo *Galilaeae*, ut *Hieronymus* in praefat. huius prophetiae ait, post *Ionam*, qui *Niniven* converterat, prophetans; eidem civitati relapsae in scelera interitum praedicit, quae tandem, ut *Cornelius a Lap.* ostendit, 138 annis ab hac prophetia a *chaldaeis* excisa est. Ceterum sancte et vixisse et obiisse *Nahum* prophetam, sepultumque in *Begabar* tradunt *Epiphanius*, *Dorotheus*, aliique scriptores: eiusque memoria inter sanctos celebratur in martyrologio *rom.* prima die decembris.

171. QUÆRES I. *Quid* (*Nahum* 1, v. 1) in his verbis: ONUS NINIVE: LIBER VISIONIS NAHUM ELGESAEI, voce *onus* significetur? R. Vox *onus* apud prophetas significat prophetiam, quae afflictionem et punitionem praenuntiat. Sic *cit. loc.* dicitur: *Onus Ninive* etc., hoc est *tristis* et *minax* prophetia contra *Ninive*: Li-

(2) *1. Reg.* c. 17, v. 12.

ber prophetiae *Nahum* oriundi ex *Elcese* viculo Galilaeae. Item apud prophetam *Habacuc* (1) dicitur: *Onus, quod vidit Habacuc*, h. e. tristis et minax prophetia *Habacuc*.

172. **QUAERES II.** *Quale est illud diluuium, quo propheta Nahum (c. 1, v. 8) dicens: ET IN DILUVIO PRAETEREUNTE, CONSUMMATIONEM FAC ET LOCI EIUS, urbem Ninivem devastandam praedixit?* R. Hic textus duplicem potissimum potest habere sensum genuinum, unum literalem improprium seu metaphoricum, ita, ut nomine diluvii hic designetur exercitus medorum et babiloniorum, qui instar diluvii ingenti celeritate et impetu invaserunt assyrios, eorumque locum, id est, regiam *Niniven* vastarunt. Nam in s. Scriptura non raro diluvii aut inundationis et fluctuum nomine (2) exercitus hostiles intelliguntur, regionem aliquam torrentis more depopulati, uti *Theodoretus*, *Vatablus*, *Arias*, aliique observant. Alterum sensum, et quidem literalem proprium citatus textus iuxta *Tirinum* et *Cornelium a Lap.* habet hunc, quod nomine diluvii praetereuntis intelligatur exundatio fluvii *Tigris*, cui urbs *Ninive* adsita erat. Hanc exundationem significare videtur propheta *Nahum* et hoc loco, et cap. 2, v. 6 dicens: *Portae fluviorum apertae sunt etc.* et v. 8: *Ninive quasi piscina aquarum, aquae eius: ipsi vero fugerunt*; quasi diceret: Deus nimbos coget in *Tigrim*, ut is exaestuaret, et cataclysmo *Ninivem* obruat; ferme sicut sub *Sardanapalo* contigisse narrat *Diodorus Siculus* (3): imo *Cornelius a Lap.* (4) suspicatur, *Diodorum* in persona et tempore

(1) Cap. 1, v. 1.

(2) Isa. c. 8, v. 7; c. 17, v. 12 et 15. Ezech. c. 26, v. 10.

(3) L. 5 hist.

(4) Comment. in *Nahum* c. 1, v. 8.

errasse, ac eluvionem illam cortigisse, non tempore *Sardanapali*, sed in ultima *Ninive* devastatione (5). Ceterum *Niniven* inundatione aquarum fuisse perditam, testantur etiam *Dorotheus* et s. *Epiphanius* in vita *Nahum*. Plura de hac re vide apud *Tirinum* et *Cornelium a Lapide* (6).

### CAPUT VIII.

#### De Habacuc.

**HABACUC**, hebr. *הבקוק* *Amplexator* vel *Luctator*, graece *Ἀμδακός*, de quo praeterquam quod propheta sit, omnia fere incerta sunt, patria, tempus prophetiae, aetas, mortis genus, etc. Aliqui oriundum faciunt de tribu *Simeon* ex agro *Bethsocher*; alii ex tribu *Levi*, etc. Alii eum asserunt tempore *Ezechiae* prophetasse, alii post excidium *Hierosolymae*. Alii eum cum illo *Habacuc*, qui *Danieli* prandium portavit, confundunt; alii distinguunt. Quae dubia ex parte solvuntur, si duos *Habacucos* prophetas admittamus, sicut duos *Michaeas* prophetas admisimus (7). Ceterum propheta *Habacuc* de quo hic agimus, praedicat excidium *Hierosolymae* et *Iudaeae* per *chaldaeos*, ac deinde *chaldaeorum* eversionem, et *iudaeorum* liberationem per *Cyrum* et *persas*: et totius humani generis per *Christum*, cuius nativitatem, passionem etc. insigni carmine pangit etc. depingit. Vita sancte peracta, sanctorum catalogo adscriptus legitur 15 *ianuarii*: corpus eius sub *Theodosio* seniore divina revelatione repertum fuit, ut diximus in prooemio *Michaeae*.

173. **QUAERES I.** *Quomodo intelligendum illud (Habacuc 3, v. 3)*

(3) Vide supra n. 167. *Quaeres VII.*

(6) Comment. in *Nahum* c. 1, v. 8.

(7) V. supra n. 156, et in prooemio *Michaeae*.

**DEUS AB AUSTRO VENIET, ET SANCTUS DE MONTE PHARAN.** *Quando aut quomodo Deus venit ab Austro, aut de monte Pharan?* R. Duplex huius loci est expositio. S. *Hieronymus*, *Theodoretus*, et *Theophylactus* hunc locum de primo Christi adventu ita explicant: *Deus ab Austro veniet*, id est, a *Bethlehem*, quae ad austrum est respectu *Hierosolymae*: rursus ab *Austro*, id est, ex calore caritatis. Caritas enim fecit eum incarnari. Item veniet - de monte *Pharan*, id est, Deus se ostendet in carne, ille idem qui in montibus *Seir*, *Pharan* et *Sina* olim patribus apparuit. Alludit nimirum propheta ad illud *Deut.* 23, v. 2: *Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan et cum eo sanctorum millia.*

Alter expositio est: *Deus ab Austro veniet*, puta a *Perside* et *Media*, quae australes sunt respectu *Chaldaeae*, adducet *Cyrum* et *Darium*, qui *Babylone* vastata, inde *iudaeos* liberent, ut in patriam redire possint, Deo duce, qui in montibus *Seir*, *Pharan* et *Sina* in deserto *Arabiae* situs, olim patribus eorum apparuit.

174. **QUAERES II.** *Quomodo angelus prophetam Habacuc, prout in Lib. Danielis narratur, capillis capitis apprehensum potuerit transferre ad Danielelem in lacu leonum detentum?* R. Propheta *Habacuc*, qui est unus e prophetis minoribus, et de quo hic agimus, probabilius non fuit ille *Habacuc*, qui prandium *Danieli* attulit; prout in praefatione ad hunc prophetam paulo ante diximus. Ceterum, quod propheta *Habacuc*, quicumque is fuerit, ministerio angeli eum ad *Danielem* transferentis, id potuerit, iam alibi (1) ostendimus.

(1) Vide supra de l. *Danielis* q. 15, n. 135.

(2) Réponses critiques tom. 5, n. 56.

175. **QUAERES III.** *An illa prophetae Habacuc (cap. 3, v. 17) comminatio FICUS NON FLOREBIT, etc. non sit ridicula; cum ficus arbor nunquam et nullibi locorum floreat, id est, nullos flores (ut aliae plantae), sed tantum fructus ipsos seu ficos proferat: adeoque carentia florum non sit poena, sed ipsa natura huius arboris?* R. Hoc est novum specimen maligni incredulorum animi adversus s. *Scripturam*, quo omnia corradunt, quae quocumque demum modo servire putant ad ingenerandum rudibus et indoctis contemptum s. *Scripturae*. Quare, dum teste cl. *Bullet* (2) in opere, cui titulus: *Doutes manuscrits sur la religion*, id est, *Dubia manuscripta super religionem*, in quadam obiectione verba illa *Habacuc* prophetae: *Ficus non florebit*, deridentur; potius protervia et inscitia incredulorum, talia obiectentium, se manifeste prodit. Nam, ubi vulgata nostra loc. cit. habet vocem latinam *florebit*, ibi in textu hebraeo ponitur vox פרח *Pharach*, quae tam *florere*, quam *pullulare* sive *germinare*, seu germen proferre significat (3). Ipse autem sacer contextus innuit, dictam vocem hebraeam hoc loco ipsam germinum seu ficuum protuberationem significare. Sermo enim ibi est de ipsis plantarum fructibus. *Non erit germen in vineis* (loc. cit. *Habacuc* ait) *mentietur opus olivae* i. e. *olea non feret olivas, et arva non afferent cibum*: ergo pariter, quando ibi (4) ait: *Ficus non florebit*, sermo est de ipsis fructibus progerminantibus. Certe *LXX* interpretes hoc locum clare dicunt: *Δὲτοι συκῆ ὃν καρποφορῆσει*. *Quoniam ficus non afferet fructum*. Sic etiam habent textus syriacus, a

(3) Vide *Franc. Haselbauer* lexicum hebraico-chaldaicum, litera פ Pe, columna 61.

(4) *Habac.* c. 3, v. 17.

rubicus et vetus vulgata. Sic quoque hunc locum citat s. *Cyprianus* tractatu contra *Demetrianum* his verbis: *Ficus non afferet fructum*. Item s. *Augustinus* L. 18 de civitate Dei, c. 32; *Theodoretus* in cap. 3 *Habacuc*. Ipse quoque s. *Hieronymus* comment. in hunc locum, haec verba, *Ficus non florebit*, ferme coincidere, inquit, seu non multum distare a translatione LXX interpretum, qui verterunt, *Ficus non afferet fructum*.

176. COROLLARIUM. Nostram vulgatam inepte aliquis argueret erroris, quod loc. cit. dicat, *Ficus non florebit*, cum potius cum LXX interpretibus dicere deberet, *Ficus non afferet fructum*. Inepte, inquam, id contra vulgatam obiiceretur. Ambae enim hae versiones, tam illa latina vulgatae nostrae, quam altera graeca LXX interpretum quoad substantiam consentiunt. Nam vox *florebit* in nostra vulgata hic non est stricte et proprie accipienda, in eo scilicet sensu, ac si ficus instar aliarum plantarum flores exterius proferre solet; sed sumenda est (uti etiam a profanis scriptoribus saepe sumitur) in sensu minus proprio seu metaphorico, ita ut vox *florere* idem significet ac *virescere*, ac *fructum proferre*. Unde sensus est: *Ficus exarescet, non virebit, fructum non proferet* (1).

SCHOLION. Dixi, arborem ficum non florere *exterius*, seu flores instar aliarum arborum exterius non proferre. Teste tamen universali lexico lipsiensi (2) multi botanici asserunt, etiam ficum arborem flores

(1) Cl. *Weitenauer* ad vitandas tricas ab incredulis contra citatum locum vulgatae nostrae motas, hunc textum in germanicis bibliis suis non vertit, prout alia germanica biblia solent habere: *der Feigenbaum wird nicht blühen*; seu: *ficus non florebit*; sed *der Feigenbaum wird*

suos ipsis fructibus inclusos habere, nempe certa quaedam filamenta similia staminibus, quae in ipsis fibris reperiuntur.

Ceterum etiamsi poneretur, arborem ficum nullos prorsus flores, seu exterius prolatos seu ipsis fructibus inclusos habere: tamen, ut supra ostensum est, ficus dici potest *florere*, id est, virescere et fructus proferre. Sic, quod a latinis cum *Horatio* L. I epistolarum, epist. 7 versu 5 vocatur *ficus prima*, id itali appellant *fico flore*, hoc est, *fici flos*, prout videre est in *tom. I Osservazioni intorno ad Orazio del cav. Clementino Vannetti accademico fiorentino*. Edit. Roveret. 1792, pag. 166 et 167.

Accipitur nimirum vox latina *florere* (ut pariter supra iam monui) saepe in sensu improprio et metaphorico; sicut etiam *Virgilius* Georg. L. II, vers. 5 et 6 canit: *Pampineo gravidus autumno flore ager*; et tamen vites autumno non florent; adeoque hic *florere*, non proprium sed metaphoricum est. Similiter *Lucretius* L. 5 in sensu metaphorico ait: *Floret mare navibus*, id est, abundat, gaudet etc. Vide *Virgilii Maronis Opera ex fide Nicolai Heinsii . . . . cum notis integris Ruæi*. Coloniae Munatianae 1782 tom. I, pag. 161.

#### CAPUT IX.

##### De Sophonia.

SOPHONIAS graece *Σοφονίας*, hebr. צפניה quod *Lutherus* in suis bibliis recentiorum puncta secutus, reddit

nicht grünen; seu *ficus non virebit*. Erudite quoque ad retundendos incredulorum cavillos hac de re disserit in suorum biblicorum germanicorum Praefatione ad *Pentateuchum*, § 41.

(2) Tom. 9, columna 422.

*Zephania*, latine iuxta s. *Hieronymum* ad Paulinum, significat *speculator Dei*, vel *absconditus Domini*. Prophetavit autem *Sophonias* in diebus *Iosiae* regis Iuda (1), et convixit *Ieremiae*, cui perquam similis est, etiam in stylo, ut videatur quasi abbreviator illius esse; quemadmodum *Isidorus* (2) ait. Hortatur iudaeos (quamvis et aliis quibusdam gentibus, ammonitis, moabitibus, aethiopicis etc. ultricem divinam iustitiam cap. 2 praedicet), ut relicta idololatria aliisque sceleribus, ad poenitentiam et veri Dei cultum redeant: ni faxint, inevitabile per chaldaeos excidium ipsis praedicat. Solatur tamen eos spe liberationis e servitute diaboli sub Christo et per Christum futurae. Vita sancte transacta idem propheta, in agro proprio sepultus est; ut *Isidorus* cum aliis ait. In martyrologio romano catalogo sanctorum die 3 dec. adscribitur.

177. QUÆRES: *Quid Sophonias significare veit his verbis* (cap. 2, v. 5): *VAE QUI HABITATIS FUNICULUM MARIS, GENS PERDITORUM. Quis est iste funiculus maris? quae fuit illa GENS PERDITORUM, hebraice gens כרתים CERETHIM? א. Propheta funiculus maris vocat partem vel oram maritimam, quam ut haereditariam incolebat gens Cerethim, id est, gens perditionis seu perditioni destinata. Erat autem haec gens, provincia quaedam philisthaeorum prae caeteris bellicosa, ex qua David duas legiones praetorianas et fortissimas ad corporis sui custodiam olim sublegit (3): ferme sicut hodie sunt, et ab antiquis temporibus apud regem Galliae helveti erant corporis custodes. Videtur autem (ut Cor-*

(1) *Sophon.* c. 1, v. 1.

(2) In vita *Sophonias*.

(3) *V. Iosephum*, lib. 7 *Antiquit. iudaic.* c. 41.

*nelius a Lap.* existimat) *David*, cum a *Saule* ad philisthaeos, puta ad *Achis* regem *Geth* profugeret, inde eos adduxisse. Porro hae duae legiones dictae sunt *Cerethi*, i. e. perditores seu interfectores, et *Phelethi*, i. e. liberatores; quia regem eiusque assecas ab omni periculo hostium liberabant, et ad hostes eius interficiendos destinati erant. Hinc quando *David* a facie filii sui *Absalonis* fugiebat, *universi servi eius ambulabant iuxta eum, et legiones Cerethi et Phelethi* (4). Et alibi (5) dicitur: *Banaias filius Ioiadae super legiones Cerethi et Phelethi*.

#### CAPUT X.

##### De Aggaeo.

AGGAEUS graece *Ἀγγαιος* hebr. אגאי *festivus*, cum iudaeis sub *Cyro* e Babylonia, ubi natus est, redux Hierosolymam, primus ibidem post captivitatem babyloniam prophetavit. In decursu prophetiae suae elidit frivolas iudaeorum excusationes de fabrica templi reaedificandi diutius differenda: promittitque, cum Christus Dominus venerit, se impleturum gloria domum illam, maioremque futuram gloriam domus posterioris seu templi huius secundi, quam prioris, id est, templi Salomonici. Porro aliqui teste s. *Hieronymo* (6) putarunt, *Aggaeum* non fuisse purum hominem, sed angelum incarnatum. Verum hic est error (7): ex eo tamen colligimus, *Aggaeum* prophetam eximia fuisse morum vitaeque innocentia ac puritate. Catalogo sanctorum adscriptus legitur in martyrologio rom. die 4 iulii.

(4) II. Reg. c. 45, v. 18.

(5) I. Paral. c. 48, v. 17.

(6) Comment. in Agg. c. 1, v. 15.

(7) *V. Tirinum*, comment. in Agg., c. 1, v. 15.